



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 28. Legatorum ratio de non acceptando Decreto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

gnationem animo spirans, affirmabat, Sæcul. XVI.
A.C. 1563.
quod animo statuisset Sessioni non interesse, sed ad Ripam Tridenti se conferre: Verum multis rationibus, & auctoritate sua, illum ab hoc proposito removere conabatur Mantuanus Cardinalis.

§. XXVIII.

Legatorum ratio de non acceptando Decreto.

Postea Legati unius diei spatium petiere, quo responsum redderent circa Decreti negotium: Verum hi quo exactius haberent examen, eo plures, novasque difficultates, quæ vix superandæ videbantur, offendebant: non enim de variis opinionibus inter Theologos certabatur, nec inter illos, & Canonum Doctores agebatur, sed ipsi Canonum periti inter se dissidebant: quamvis vero reliqui Præsides convenissent de recipiendo Decreto, eique, qui erat a secretis, injunxissent, ut in hanc sententiam perscriberet Romam, nihilominus Simonetta literis subscribere renuebat, proin, cum ipsi omni sollicitudine conarentur negotium componere, atque ad concordiam se pervenisse crederent, novæ supervenere difficultates, quibus cuncta evertentur: Ipsi quidem cum Orationibus Principum, sicuti narratum est, com-

com-

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

communicabant ea, quæ Præsules Galli objecerant formæ a Lotharingio Cardinale dictatæ de Romani Pontificis auctoritate, & Episcoporum institutione; ipsorum igitur opem, & consilium pro concordia in tam difficili negotio implorabant, quapropter die vigesimo quarto Januarii Galliæ Oratores ad Legatos Vesperi accessere, ac Lansacus cepit eis ostendere, quod obstacula, quæ huic concordiæ opponerentur, non minus ipsis Oratoribus, quam Legatis evaderent funesta, illisque ejusmodi diffensiones displiceant: de cetero autem eis spondebant, quod totum studium impendere vellent, ut Decretum illud, & illi Canones reciperentur, cum sibi mandatum non fuisset a Rege Christianissimo, ut ipsi Prælatos cogèrent in iis, quæ conscientiam involverent, quin potius Regiæ suæ Majestatis desideria dicebant eo abire, ut illos plenissimæ libertatis suæ compotes relinquerent; porro de consilio a Legatis quæsito aliud sibi non suppetere ait Lansacus, nisi ut procul tam a doctrina, quam a Canonibus haberetur, quidquid dissensionem posset inducere; insuper adjecit, curam se relicturum sociis suis ad reliqua capita clarius proferenda.

§. XXIX.